



1. de Beaufibre s. Isaias
diff. de novi Foederis
Libris Apocryphis,
Berolini, 1739.

2. von der Hand J. Henr. I
tractatus Talmudi,
cur de Blasie statu-
guitatum iudiciorum
Helmstadt, 1720.

3. ————— Epistola
joeli Propheta ad
Regem iherosolimam,
Helmstadt, 1720.

ÆTERNA
MEMORIA
**JOHANNIS
REUCHLINI,**

JCTI, CÆSARIS AC PRINCIPVM
CONSILIARI,

**PRIMI HEBRAICÆ ET GRÆCÆ LIN-
GUÆ IN ACADEMIA INGOLSTADI-
ENS PROFESSORIS,**

QUI SENEX ANNORUM LXV.

ANNO MDXX. IV. NON. MART.

SCITO ORSUS EST PROFESSIONEM
PROGRAMMATE:

ET

**JOHANNIS
GUSSUBELII,**

INGOLSTADIENSIS PROFESSORIS,

QUI

INAUGURALI

PRO REUCHLINO

ORATIONE A. MDXX. III. NON. MART.

PRÆCLARE DIXIT:

RECENSENTE IN ACADEMIA JULIA

A. MDCCXX. MENSE MARTIO

HERMANNO von der Hardt /

ACAD. JUL. SEN. ET PRÆPOS. MARIAE.

Helmstadt, Literis SCHNORRIANIS.

2

Virtutis & veritatis
pretio!

VEl centies his annis prima ingentia Reuchlini ante hos ducentos annos in ecclesiam & publicam rem studia grati commendavimus posteri. Nunc porro in honorem anni hujus secularis, & prædulcis fati memoriam, subindicare potius quam recensere animus est, quo divino nutu, senex LXV. annorum, ex ducatu Wirtenbergensi Ingolstadium ad Bavaros penetraverit, *linguarum sacrarum in academia professor primus*. Studiardiæ diu vixerat Reuchlinus. A. 1519. Ulricus Wirtenbergensis Dux Reutlingam Suevorum oppidum expugnat, quod cives isti præfectum saltus, duci percharum, occidissent. Wilhelmus, Bavariæ dux, cum Suevis Ulricum armis aggressus, ducatu eum exuit. *Inter captivos Wirtenbergenses Reuchlinus illa a Bavaro beatus est gratia, ut illius bona prædæ bellicæ colore fisco addicta diceret, eoque titulo servaret, i. Majum, p. 513.* Interim Ingolstadiumcum perpaucis libris perductus, secum agi permisit de
Acade-

3

Academiæ illius professione ornanda, autoribus hebraicis & græcis recensendis. Conditionem admisit, suam pollicitus operam. Quamobrem IV. Non. Mart. A. MDXX. hujus sui publici Academici laboris initium publico hoc indexit *Programmate:*

AB ILLUSTRI PRINCIPE

W I L H E L M O

BOJORVM DVCE INCLYTO

DOMINO NOSTRO

PRÆCLARISSIMÆ HVJVS VNI-
VERSITATIS CAVSA ET EJVS
NOMINE

JOANNES REVCHLIN

PHORCENSIS

LEGVM DOCTOR

IN OPERAS DVARVM LINGVA-
RVM PRINCIPALIVM

HEBRAICÆ ATQVE GRÆCÆ

QVOTIDIANAS

EX ÆRARIO PVBLICO

NOBILI STIPENDIO CONDVCTVS

A 2

CRAS

CRAS
 III. NONAS MARTIAS
 DIATRIBÆ LVDVM APERIET LITERA-
 RIVM ANTE MERIDIEM HORA
 NONA
 IN AUDITORIO COLLEGII VETERIS
 LATISSIMO
 ANNO CHRISTI MDXX.

Fausto dehinc illo sequenti die,
 III. Non. Mart. in splendido auditorio
oratione inaugurali de Reuchlini rebus
 publice prælusit *Johannes Gussubelius*,
 spectabilis Academiæ pars. Prudentiæ,
 in bellicis illis motibus inter Ulricum &
 Wilhelmum, Wirtenbergensem & Ba-
 varum Duces, in Gussubelii sermone
 momenta, quare nec Reuchlinus tunc
 verba fecit, plura sunt, ex illorum tem-
 porum historia, quam hic locus capiat.

Et nostro jam ævo, in eodem velut
 auditorio nos existere ac coram omnia
 videre & audire existimabimus læti &
 fortunati,

In Ora-

CRAS

Oratio a IOANNE GVSSEBELIO

Longicampiano coram Vniversitate Ingolsta-
tensi habita, pro Io. Capnione Phorcenfi, LL.

Doctore, cum in lingua hebraica & græca ludum
litterarum ex conducto aperiret,
III. Nonas Martias.

*Augusta Vindelicorum, ex officina Silvani Ottmari,
mense Martio. MDXX.*

ANIMADVERTO jam pridem initio dicendi, Illus-
tris, Magnifici, & Spectabiles domini,
cæterique doctissimi auditores, quam in-
tolerabile ac eternâ gravius humeris meis o-
nus imposuerit excellenti humanitate prædictus il-
le præceptor noster, vir literatissimus, Io. Reuchlin,
Phorcensis, Legum Imperialium doctor egre-
gius, quem Latini Gracique Capnionem appellant:
Cum in tanta frequentia, tam splendido confessu tan-
ta nobilitatis tot præclarissimorum hominum, cum qui-
bus neque atate, neque ingenio, neque autoritate com-
parari debeam, oratio mihi habenda sit: Quippe in
tam summa causa pro tam summō viro. Quis
enim vel Demosthenes vel illo audacior Aeschines ali-
quis non tum fieret ullo verecundia rubore suffusus,
cum has ornatisimas sedes atque subsellia, tot digni-
tibus tantis honoribus referata, hominum, non tantum
incredibili prudentia, verum etiam aurum singulari
judicio pollutum, & oculis aspiceret & mente cogita-
tioneque intueretur? Ego autem confisus omnium ve-
strum benevolentia, primum, quod facile pro innata
& consueta benignitate quavis errata mibi condona-
bitis, qua fuerint sincero & amico animo a me, & offi-

cio quasi debito admissa: Deinde, quod et si forte non
 omnes ubique, tamen multis & bonos viros hoc in loco
 uoverim ejus hominis honori fautores, qui non mo-
 do singulos vos quoque salvos esse optet, sed et-
 iam ad id huc advenerit, ut multiformibus vari-
 arum linguarum elementis, literis & doctrinis
 ornatos florentesque universos, si volueritis, effi-
 ciat, & omnia non ad sui quæstum, sed ad vestri
 proiectum & utilitatem agat. Certe plausibilis co-
 me orantem suscipietis, quod solo ipse obsequendi stu-
 dio, nulla temeritate trahor in hac vobis cum collo-
 quia, in has omilias, & in hunc prologi sermonem,
 quem is pro quo dicturus sum mihi demandavit, cui
 quicquam negare piaculi duxerim loco. Id ita com-
 monui, ne cui vestrum mirum esse videatur, qui præ-
 ter hujusce splendidissimi gymnasii morem,
 cum lectiones suas quispiam alter incepturnus
 sit, qui tum majori dignitate, tum c. natori venu-
 state ac fertiliore dicendi copia, si vellet, initia sua
 proponeret, ego, ejus comparatione, semisis homo &
 longe post illum habendus, apud vos lectissimos viros
 & studiorum severissimos judices ausim earum lec-
 tionum, non ut rei magnitudo jure deposceret, sed
 quantum pro mea virili queam, sermone erito & hu-
 mili, principium concionari. Antiquitatis enim
 amator & prisorum imitator autorum Capni-
 on, voluit laborum suorum alios esse precones
 aliquosque oratores, se vero alienigenam & peregrina-
 num apud vos atque ignotum hominem, per notos
 vobis & domesticos furi notiorem. Quare pro seipso
 verba facere distulit, exemplo & more majorum.

Sic

Sic Aristophanes Sophocli Tragœdiarum exordia posuit, qui consueverat absque prologis mox ad actus procedere. Sic Euripides & ipse Tragicus nullam suis operibus prefationem dixit, haud secus Aristophanes Comicus. Et ut obmissis græcis latinos commorem, nonne vir tanta facundia & tam laudato ingenio Archias ille Antiochenus, cum pro se ipso abunde potuisset apud Praetorem populi Romani & Consulissimos judices orationem eruditam & copiosam habere, tamen ipse discipulum, quem ante docuerat, Ciceronem elegit sua causa patronum. Quare haud ab eruditissimorum consuetudine alienum est, quod Capnion plane alteri, atque adeo quidem mihi ipsi ex ultroneis ministeriis suis electio, pro se habendam orationem de doctrinis & lectionibus suis, ultraque in lingua tam græca quam hebraica tradendis, commiserit. Utar igitur hac in causa & amplius & audacius vestra benignitate, vestraque insigni patientia, quo simul Capnionem hunc nostrum paulo uberiore dicendi conatu in amicitiam vestram arctius redigam, quem & amare & venerari non cessabit, si ob quam rem ad nos & Engelstadiensem Universitatem nostram acceperit aperiens cognoscatis. Evidem res omnis uti facta est brevi recensebo. Nam post quinquennem nuper misseriam, calamitatem & crumnam Stoccardie, qua Virtembergensis territorii prima civitas est, ubi & noster ipse annos prope duo de quadraginta civis sedebat, cum neque famem neque seditiones neque bella neque sava pestilitatis minas evitare per malafata liceret, indignus tandem visus est philoso-

pho ille locus, quem deinde & musæ sanctiores & politiores literæ in media barbarie inco-
 lerent, ubi in partem pejorem liquitur etas, & eter-
 nis succumbunt omnia plagis. Quo agitatus Capnion
 recte secum constituit, ut semetipsum, bibliothecæque
 sua aliquot libellos, ab imminentibus tot & tantis
 incendiorum & devastationum periculis aliquando
 eriperet, atque alio proriperet, adibus suis & omni
 agro reque familiari ac universis bonis externis cum
 mu. ipisci chartacea supellecstile domi relitti. Nihil
 enim spei sepererat, posse post bis viitam a Suevis nu-
 per urbem reductis exulibus & profugis, in tanta
 civium seditione ac intestinis odiis & simultatibus,
 alioqui popularitate gratum se, illaso statu permane-
 re, plurimum sane metuentem sibi ab avaritia sica-
 riorum, quibus libidinandi licentia in optimum
 quemque conceditur, certe sævo dominatu, quasi a
 victoribus Rojis illuc translate fuissent colonia. Que-
 res ne temperari quidem potest, quando ei regioni
 expectanda quotidie est exacti Ducis secundam re-
 stitutionem desiderantis subita irruptio. Accesserat
 aliud malum, ingens profecto, quod nulla ratione,
 nullo consilio, nec vel prudentissimi cuiusque viri ul-
 la cogitatione vitari, nisi fugiendo potest: Epidimia
 græce nominatur, quod latine interpretatur publica
 invasio sive grassatio, & Lucretio Romano, subita
 clades novaque pestilens, que (ut nebula ac nubes)
 paulatim repit, & omne qua graditur concubat &
 immutare coactat. Cum igitur aliquo se vertendi
 oblata esset non tam occasio quam & necessitas, tum
 petebatur a Patriciis & Consularibus viris in-
 clyti

clyti Bojorum Ducis Willelmi, ea tempestate ad Suevica magna confederatiois bella imperatoris electi, bis victoris & triumphatoris, ut in Bojos se conferret, ubi pro rei sue familiarie opportunitate, non in cassum speranda sibi foret ejusdem Principis clementissima liberalitas. Quorum votis ut obserqueretur, recepta iterum in ditionem confederatiois Stoccardiâ, collocatisque ad praesidia militibus multo pluribus quam civitas ferre posset, abiit, secessit, & circiter quintum Idus Novembres, jugum Harycium transcendit nebulis opertum & nivibus, glacie, algâ geluque horridum, per duras & scabras silices & confragosa itinera, usque dum ad Danubii ripas consideret, brevi familia & quadriga comitatus. Quibus in montibus, obmissa superioris Bajaria via, inferiorem arripuit, ut nostrum Gymnasium perlustraret, & qua posse opera, studio, cura & diligentia omne genus optimarum literarum & antiquissimarum disciplinarum huic urbi non sine summa laude inferret, maxime nobilioribus in linguis, Latina, Graeca, & Hebreæa. Quanquam latinam linguam callentibus facundissimus hominibus & summa ingenii praditis gloriâ non careat hec civitas, qui peracto labore, frequenti studio, multa exercitatione, plurimis experimentis, profunda sapientia & divinis animi doctibus, possint altissima poetarum arcana latine scrutari, & anigma retegere & solvere nodos, qui denique possint omnes Rhetorum Veneres, suada (ut ajunt) medulla romane ac latialiter imitari, diserte omnia dicere, non sine quadam audiolorum admiratione.

A 5

Copio-

Copiosam vero concinnare omni de re orationem, id non unius tantum, sed multarum gentium & linguarum institutione fit, & potissimum græca & hebraica, ut cum de media philosophia quadam nobis veniant promenda, græcis abundemus, & quæ de vera theologia perspicaciter cognoscere oporteat, non aliunde nisi de hebræorum antiquitate liceat expiscari. Eiuscmodi namque linguis, (credite vera dicenti) poetarum, philosophorum, & theologorum crescit oratio & facultas, quod testantur antiquissimorum libri, sapientum voces, exemplorum vetustas & sanctorum firmat expressa scriptura. Earum linguarum in hoc nostro gymnasio (pace omnium dixero) nunquam sortiti sumus ullum doctorem, quisinimo ne in tota quidem ante germania Joanne Reuchlin priorem vel fama quidem accepimus, qui longissimis jam annis domi se continuit, negotiis secularibus & jure dicundo impeditus. Nunquam autem ipse post sumptam virilem togam usque ad hæc tempora padagogus, aut erudiendis juvenibus aliqua in schola publicus voluit esse praeceptor aut ludimagister. Commune igitur hoc nostrum cum omnibus germaniae studiis incommodum fuit, ut nullus in hanc usque ætatem nobis contigerit doctor, qui simul & grace de pulpite & hebraice præciperet, hoc solo excepto tempore, quo nuper idem ille Capnion, unus & primus ad nos primo accessit, ut olim Apollonius ad Indos, haud absque suo literario thesauro, quo hanc nostram Universitatem sua praesentia faceret illustriorem. Quis igitur tam agresti,

tam

tam duro, tam imbecillo erit animo, qui cum vi-
 rum, quem Principes Illustrissimi, quem Civitates
 magnificientissimae, quem aliae quoque Generalium Seu-
 diorum Universitates quantavis humanitate ac libe-
 ralitate ad se cupiant alicere, non id pariter agat
 omni fide ac praecellentia conatu, ne frustremur in-
 genti hac laude, inter primos Capitionem habuisse
 praeceptorem; quod ceder in summum gymnasii nostri
 decus & gloriam. Nam si olim Sicyonia eo existi-
 mata est conspicabilior & augustior, quod & plures &
 fama nobiliores coluerit statuas, & mutas imagines, non
 ligneas, ut aliorum more solabant, sed areas: Illic
 enim Pan Lycaeus, quem Lysippus ex orichalco fa-
 brefecit, & Aesculapii effigies, & somni & Artemi-
 dis, & Veneris, & Antiope, & Epeopeos, & Juno-
 nis, illius Adrasti opus, & Solis, lacet ex albo la-
 pide facti, & complura variis generis signa, de qua-
 bus Pausanias in Corinthiacis festive conscripsit: Si
 inquam, ea regio nobilium statuarum cultu fuit ba-
 bita celebrior, que sunt mortuorum imagines, quid
 de Engelstadio nostro futurum arbitramini, si vivo-
 rum hominum formas, quin imo deorum & quidem
 verae divinitatis imagines, illa doctissima & sapien-
 tissima simulacra, viros scilicet in omni genere scien-
 tiarum & linguarum institutes, omni studio, con-
 filio, opera, cura, cogitatione, totis denique viribus
 nobis conciliemus? Homines tu putas, dii sunt, mor-
 talibus nobis mortales misi, ea conditione & iis fa-
 cultatibus, qui nos possint à socordia & inertia ex-
 citare ad meliorem frugem, a barbarie ad mo-
 res ingenuos, à cœcitate ad lucem, ab infantia ad
 facun-

id
 in-
 be-
 bis
 de
 or-
 ni-
 is,
 &
 n-
 m-
 i-
 sio
 m-
 r-
 i-
 n-
 e
 do
 ri-
 ut
 o-
 ne
 ixe
 ne
 si.
 ce
 n,
 A-
 re-
 n-
 i,
 m-

facundiam, ab ignorantia detestabili ad veram
 divinarum humanarumque rerum cognitionem,
 quæ antiquissimorum voluminibus ad-
 huc nostro seculo sunt recondita. Si enim no-
 strum scire, antiquorum est reminisci, quoniam ni-
 bil est dictum, quod non sit dictum prius, quomodo
 recordabimur antiquorum sensa, qui sermo-
 nes, verba & linguas antiquorum ignoramus?
 Sed saepe dum errantes sequimur interpretes,
 gravi quoque nos ipsi errore implicamur. *Huic au-*
dio adstipulatum esse Augustinum, qui de doctrina
christiana sic scribat: Plerumque a sensu auto-
ris devius aberrat interpres, si non sit doctissi-
mus. Nam multa, quæ ab autoribus librorum
interpretata non sunt nomina hebræa, non
dubitandum habere non parvam vim, atque
adjutorium ad solvenda ænigmata scriptura-
rum, si quis possit ea interpretari; Quibus
apertis & interpretatis, multæ in scripturis fi-
guratæ locutiones manifestantur. Contra
 ignota enim signa propria magnum remedi-
 um est linguarum cognitione. *Hac Augustinus*
non indoctis laudi dedit, ut haud obscure agnosceris,
sed de linguarum peritisimis conscripsit, non de il-
lis qui faciunt intelligendo ut nihil intelligant, qui
n: quid videantur nescire, quin potius ut videantur
omnia scire, non verecundiæ sibi ducunt, omnia stulte
aut verius perverse interpretari. Sic audacia ve-
lant ignorantiam, ut caci caci ducatum prebeant,
& ex rudibus imperitiores efficiant. Videte quos
singant morsus diaboli, cum tam lepide sibi blandi-
untur

untur posse graca exponere. Duo, inquiunt, mor-
det diabolus: Ideo dicitur est a dia quod est duo,
& bolus morsus. O nugas indoctis gratas. Recti-
us autem S. Hieronymus gracum illud in epistola
Pauli ad Ephesios criminatorem interpretatur; dia-
βάλω enim grace, criminor latine dicitur, & dia-
Colη calumnia Luciano teste. Sic Psalmorum li-
bro canunt, ad deum fontem, ubi deberet ad de-
um fortē legi. Et mare magnum & spaci-
osum manibus, pro laticapaci & amplio loco,
quod etiam septuaginta interpretes ἐνεύχωσαν tradu-
xere. Et in Isaia, post januam pro post unam, & in
Proverbiis, Justitia elevat gentem, pro elevate gen-
tem. Et kyrie leyson, pro eleison, & lamasabathani
pro lama asabthani. Quid autem non attinet & hoc
dicere? quod ausi sunt quidam theologi annum inte-
grum rotas ad populum omilias, quos Sermones ap-
pellant, super hanc unam sacra (ut ajunt) scriptu-
ra autoritatem fundare: Stultorum infinitus est
numerus, quod nusquam in sacra scriptura conti-
netur, decepti, ut putatur, interpretum ignoran-
tia. Quo rectius in psalmum septimum scribens
Hieronymus affirmat, quod erraverint plerique,
& maxime ii, qui hebræi sermonis scientiam non habent.
Quare ait in Epistolis, quod de male interpretatis fictas explanationes quaerant.
Quid moror pluribus? Infinita sunt in
theologia, male intellecta, quæ ex ignorantia
linguarum in deteriorem partem, cum quadam
externarum gentium subsannatione, in-
dignaque irrisione captantur, quæ possint o-
mnia,

mnia, si qui linguas didicerint, emendari.
 Nec animadvertisenda jam ducam quæ levia sunt er-
 rata, ut quod in Medicinis, Galeni opus appellant
 therapeuticon, quod therapeuticum id est curati-
 vum nominari oportebat, & Tengni quod Tech-
 ni id est ars, & non Diaphaniconis, quod signifi-
 care volunt compositionem quandam per dactylos, est
 enim phinix fructus palma, nomenque illud in ge-
 nitivo plurali phinicon habet, cui dia præpositio
 servit. Non aliter atque si dicerent Dia Bucolico-
 nis, Dia Georgiconis, Dia Paralipomenonis. Re-
 cètius autem proferrent dia phinicon, & alia id
 genus. Simile de Juriconsultis, qui propter graci-
 tatis ignorantiam nequeunt proprios annales discipu-
 lis & scholaribus tyronibus iuxta legum suarum con-
 tenta, neque de alearum lusi pentathlum sive quin-
 quertium ludosque permisso, suis vocabulis recense-
 re, ac prope millia locorum (usq; ajunt) quæ juris
 sunt, græca lingua ignari pronunciare nesciunt. Est
 adeo item de Philosophis ipsis etate nostra nihil cer-
 tius, multa eos vel ignorare vel errare propter
 linguarum imperitiam, & ob falsas translatio-
 nes. Quod Albertus ille cognomento Magnus in
 tertio de Anima libro plane ostendit. Idque pericu-
 losius eo est, quo magis res pro rebus & aliud pro
 alio mutuantur in traducendo. Nam qui pro oleo Ce-
 drino in Aristoteles septimo de historia animalium
 volumine transfluit oleum Juniperinum, nescio an
 venia sit dignus. Et extat Bessarionis contra Pla-
 tonis calumniatorem liber, quo magnam & non fe-
 rendam Aristotelis factam esse falsa interpretatione
 injuriam

injuriam monstrat. Ignoscendum fortasse paulo ante nos superiori seculo, ac potius admodum pie commiserandum fuerit, quo Scholastici, tam Germania quam Galliarum, quantumvis studiosi, exercitatos & idoneos praeceptrores, linguarum principalium peritos, habere vel non poterant, vel si potuissent, tamen eos pestis illa, optimorum ingeniorum absumptio, & adolescentum ingenua indole preditorum suffocatio, illa inquam, execrabilis thesophistarum caterva, qua picarum more nihil nisi garrire ac inepte strepere consuevit, a tam nobili & necessario studio professioneque averterat. Nunc honoratissimi audatores, nunc tantæ negligentiæ hominibus veniae locus non erit. Jam jam redierunt aurea illa secula. Jam adesse cernimus illa tempora, quibus & doctorum præstantia & librorum copia varierateque ad institutiones antiquissimorum, & arcanas veterum traditiones capessendas (si volumus) recte nobis frui liceat, quo facilius cum extraneis tandem nationibus & cum iis qui foris sunt, latine, græce, ac hebraice, profundissima dogmata & reconditissimas scientias communicare valeamus: Quando Illustrissimus Princeps & dominus noster Willemus, Bojorum Dux, non tantum clarissimis præalitis & iusto marte inclitus, ut qui jam bello Suevico imperator magna confederationis bis victor & bis triumphator excelluit, verum etiam optimarum quoque literarum ac omnis bona artis cultor & amator sempiterna dignus memoria, de summa erga nos clementia præsentem Capnionem, ut in hoc suo Gymnasio Angropolita-

no simul & græce doceat & hebraice, jam pridem pu-
blico ex arario, nobili stipendio ac honorificentissimo
donario quam liberalissime conduxit, ne ceteris no-
stri seculi viris, alibi principalium linguarum splen-
dore coruscantibus, futuri simus posteriores. Quam
ad rem utiliter consequendam humanissimus Capnion
noster operam suam & ingentem diligentiam huic
nostro alioqui tam splendido Gymnasio benigniter of-
fert, ut quantum posse viribus eniti, præceptis mo-
nere, consilio proficere, optimos quoque suos audito-
res & græce doctos & hebraice faciat eruditos, atque
singula curet & omnia peragat, que videbuntur ad
omnium studiosorum dignitatem, amplificationem,
laudem & gloriam pertinere.

A fausta hac inauguratione binas quotidie ho-
ras collegio dedit publico Reuchlinus, qui ma-
tutina Rabbi Mosen Kimchi frequenti auditorio
prælegit, vespertina Plutum Aristophanis recen-
suit, auditoribus pluribus quam tre-
centis, indubitata fide in
Reuchlini.

*Quique novas alitis nonnul-
lo semine fruges,
Quique satis largum cœlo
demittitis imbre.*



dem pu-
tissimo
is no-
splen-
Quam
Capnion
n huic
iter of-
is mo-
audito-
, atque
tur ad
ionem,

ie ho-
i ma-
ditorio
recen-
e-

nul-


cœlo

l.

153243
X 2321135

72.

17



6

ÆTERNA
MEMORIA
JOHANNIS
REUCHLINI,
JCTI, CÆSARIS AC PRINCIPVM
CONSILIARI,
PRIMI HEBRAICÆ ET GRÆCÆ LIN-
GUÆ IN ACADEMIA INGOLSTADI-
ENSI PROFESSORIS,
QUI SENEX ANNORUM LXV.
ANNO MDXX. IV. NON. MART.
SCITO ORSUS EST PROFESSIONEM
PROGRAMMATE:
ET
JOHANNIS
GUSSUBELII,
INGOLSTADIENSIS PROFESSORIS,
QUI
INAUGURALI
PRO REUCHLINO
ORATIONE A. MDXX. III. NON. MART.
PRÆCLARE DIXIT:
RECENSENTE IN ACADEMIA JVLIA
A. MDCCXX. MENSE MARTIO
HERMANNO von der Hardt/
ACAD. JUL. SEN. ET PRÆPOS. MARIAE.
Helmstadt, Literis SCHNORRIANIS.